

F.K. 68.

14

Z e  
6740

IMMORTALITATIS  
MONUMENTVM  
VIRO  
CLARISSIMO ET HVMANISSIMO  
IOANNI DAVIDI  
STRAVPITIO

GYMNASII ZITTAVIENSIS SVBRECTORI AC  
SENIORI OPTIME PROMERITO

DIE XI. CALENDAR. MARTII A. R. S. CID IC CC LX  
LABORVM AETATISQUE GRAVITATE CONFECTO

CVM

IVSTA FVNEBRIA

DIE CALENDAR. V MARTII

SOLVERENTVR

P. P

GYMNASII COLLEGAE

INTERPRETE

SAMVELE FRIDERICO BVCHERO

GYMNASII CORRECTORE AC SENIORE





ffertur hodie Gymnasiī nostri Collega ac Senior, diuinārum humanarumque rerum cognitione praemunitus, et de pube scholaſtica immortaliter meritus, IO. DAV. STRAVPITIVS, cuius uitam ad posteros commēmorare, aequum censemus, quod lamentabile munus, quo arctius cum ipso, coniunctiusque, per XXXI, et quod excurrit, annos, uiximus, eo accidit lūtuosius. Heu quantas fortunas, quanta aduersa, quantas, inter funestas bellorum rabies ac tumultus, aerumnas, quantos misere labores exantlauimus! Triste igitur sui desiderium relinquit, multarūmque uirtutum exemplar intuetur, qui hunc hominem, humanis rebus exemptum, nostra ne unquam quidem ab memoria disiunctum, intuetur proprius. Elucebant in illo pietas, uitae sanctitas, religio, sine quibus cuncta mortalium uita, amplissimo altissimoque loco quantumuis licet posita, illico macrēscit. Sua consilia, ab incunte inde aetate, ad unum Deum referens, omni studio in id iuxta incumbebat, magistratui debitos honores ut obsequiose praestaret, eamdemque honeste uiuendi dignitatem, et miserae profectionis iucunditatem, per quam scite exsiceret, ac doctrinae suos grauitate, pondere, stabilitate confirmaret. Quod quidem insigne muneris scholaſtici decus ac ornamentum minime mirum tibi debet uideri, cum illustria conseſtaretur doctrinorum magistrorum nostratis Gymnasiī exempla, Christiani VVeſiī maxime et Godofredi Hoffmanni, sanctissimi quondam et religiosissimi praeceptoris nostri, qui omnibus in rebus ducem Deum fecutus, suam mentem, suas cogitationes, sua consilia, iuuenum ad animos, bonis moribus optimisque disciplinis imbuendos, eosdemque ad humanitatem aequē atque sanctitatem informandos, strenue contulit. Qua de cauſa noſter et fuorum, uxoris, liberorum, propinquorum utilitates affidius spectabat, et toto animo de ipsorum commodis ornaientisque cogitabat, id quam maxime laborans, ut omnium rebus conmodum consuleret, in eorumdemque felicitate, cum humana, tum aeterna comparanda, totus effet fixus et locatus. Quamquam uero pietas erga Deum et homines tantum continet utilitatis, quantum, haud ſcio, an ulla res praeterea: Animum tamen ſuum, ab literarum elegantia ac disciplinarum uenustate, numquam disiunxit, probe gnarus, nihil eſſe uberioris, fructuosius nihil, nihil conducibilius, nihil ad conſeruandas res publicas praeſtantius, quam ingenuarum artium ac ſcientiarum urbanitates. Ex quo multa doctrinac praeſidia, ab linguis orientis et græciae, in illum ſunt profecta, nihil ut de magnificis rerum, quas congeffit, theologicarum apparatus dicamus. Illa quidem eruditioſis do-

cumenta e scholis hausit Miri, Schmidii, Ludouici, Olearii, Carpzouii et Starckii, in Academia Lipsiensi, cuius ego rei, defuncti σύγγονος et aequalis, testis existo oculatus. Praeclare enim tenebat, haec literarum ornamenta theologis admodum esse fructuosa, in explicandis, excutiendisque diuinuarum potissime tabularum locis difficillimis, quod, quidem infinitis literatissimorum hominum exemplis luculente comprobari potest. Nam ab reliqua ut discedamus multitudine, Arias Montanus, Conzenius, Budaeus, Chamierius, Seldenus, Lightfootus, Hottinger, Leudenius, Bynaeus, Vitrunga, Flacius Illyricus, Chemnitii, Gerhardus, Lyseri, VVellerus, Geierus, Tarnouius, Glassius, Schicardus, Schmidius, Pfeifferus, Carpzouii, Bucherus testantur quam cumulatissime, nihil magis ad res pertinere theologicas illufrandas, quam linguarum orientis et literarum graecarum adiumenta. Florebant, nostro quondam in Gymnasio, uiri literis in graecis non mediocriter uertati, Elias VVeius, Michael Zigerus, Adam Erdmann Mirus, quorum in docendi rationem ingressus fidus Achates noster multum nostris scholis commodi attulit. Hoc enim magistro, qui anno iam huius saeculi XXIII. delectus Subrector, ab Magnifico et Amplissimo Senatu scholae est praefectus, assidue praeante, primis linguarum fundamentis rite positis, accommodatus iuuenes in altiores harum literarum gradus euhere potuimus. Evidem non ignoramus, dari, qui omnem doctrinam suo ingenio metiuntur, quibus omnia sordent haec studia. At enim uero literatissimi, per Academias, uiri longe alter sentiunt. Et sane scholae sunt eiusmodi palaestrae, e quibus omnis generis eruditи proueniunt. Quo circa, inter permultas scientias scholasticas, linguae suam laudem merentur, et Zittaviensibus fuit emolumento ac gloriae, omni fere memoria, ex Gymnasio homines, linguarum peritissimos, in Academias, Ecclerias et scholas fuisse traiectas. Cum his literarum ornamentis coniungit Noster antiquitatum, artis criticae et sermonis latini elegantias, aliasque disciplinas fructuosissimas, cuius rei testes locupletes prouoco, nimurum tot in lucen ab ipso emissa programmata, hominesque in primis literatissimos, quos per annos XXXVII. ad literas ingenuas formauit, appareque instruxit. Numquam nos tractauit secus, quam existimabamus. Pacis enim atque concordiae amantissimus, ab omnibus contentionibus, dissensione, animorumque dissimilitudinibus, dissidebat longius. Res suas haud indiligenter administrauit, multumque diligentiae, curarum, studii collocauit, in expoliendis perficiendisque iuuenilis aetatis ingenii, ubi doctrinae constantiam, ueritatemque semper, ad docen-



Ze 9740 FK X 355 0510

VD18

di solertiam et perspicientiam; adiecit. At enim exigua est admiratio copiose, sapienter, dilucideque dicentis, qui e scholis VVeissii et Hoffmanni enatus, optimam methodum, docendique rationem insequitur. Infinitis, quae acciderunt, calamitatibus horrorem quidem praemisit, uerum iisdem numquam succubuit, ut potius omnem acerumnarum uim, animi magnitudine, deuinceret. Mors, quae inconsiderate homines rapit, multos ipsi propinquos confeccerat, ex qua re saepius iustum cepit dolorem, maxime cum maior natu filius, magnae speci adolescentis, premature, hac ex mortalitate, proficisceretur, contra quos miseriaram morsus facile consolationem inuenit, repetundo altius paulo & uitiae humanae et consiliorum diuinorum rationes. Quis erat hominum mortalium iniquiore conditione, deterioreque loco, quam nos omnium miserrimi, maxime cum expers calamitatum nemo esset, malorumque incendio flagraret unusquisque. Quid igitur mirum, si nos molestiarum tandem grauitate presi occumbamus! Patres conscripti tristissimis uexantur et conficiuntur curis. Sacerdotes et magistri nostri iacent in moerore ac folidibus. Cuiibus languet animus. Nihil est, quod letissimae, honestaeque uiduae afferat consolationem. Literatisimus filius, ICtus prudentissimus, summo excruciatitur dolore, ut nulla eum res ad acquitatem posit extollere. Nobilissima relicta filia cum propinquis terrorem sustinet grauem, acerbum, *cuiusmodi*, qui *uix ferri* posit. Verum enim uero non satis diligenter, ac minus religiose, quam conueniat, nostra tam tristi memoria, uersamur in afflictionibus, acerbissimaque sollicitudine, si subacti miseriis contabescamus. Summus rerum architectus et moderator densa in caligine constitutis consulat, atrisque, quae cuneis se se coactis agglomerant, tempestatibus, commoda cum aduolabit hora, finem est impo- siturus, et tristissimae uiduae, concusorumque liberorum causam agit grauissime. Iustus, in Christi merito innixus, non moritur, sed in aeternum uiuit, doctrinae uirtutisque eximios honores tulit, nihil cogitans a dignitate disuertum. Iam et honore magis, quam antea, floret, amplissimisque abundare coepit aeternis summae felicitatis bonis, quae numquam est intermoritura, sed perstabit in perpetuum, fruiturque gaudiis caelestibus, quae nulla umquam bellorum rabies, nullae umquam exustiones, nullae um- quam tempestates interruptent. Praeit, nos omnes, cum hora ruet, sequemur.

---

ZITTAVIAE,  
TYPIS IOANNIS GOTTLIBII NICOLAI.



F.K. 68.

14

Ze  
6740

IMMORTALITATIS  
MONUMENTVM  
VIRO  
CLARISSIMO ET HUMANISSIMO  
**IOANNI DAVIDI**  
**RAVPITIO**

ZITTAVIENSIS SVBRECTORI AC  
SENIORI OPTIME PROMERITO

CALENDAR. MARTII A. R. S. CIC 10 CC LX  
AETATISQUE GRAVITATE CONFECTO

CVM  
**STA FVNEBRIA**

DIE CALENDAR. V MARTII  
SOLVERENTVR

P. P  
**NASII COLLEGAE**  
INTERPRETE  
**ELE FRIDERICO BVCHERO**  
GYMNASII CORRECTORE AC SENIORE



Farbkarte #13

